





Disputationū Dialecticarum Decima:  
QUA  
DOCTRINA DE  
**TESTIMONIO**  
BREVITER ET DILUCIDE  
explicatur.

Q II A M

Divino aspitante Numine

Sub præsidio

CLARISSIMI DOCTISSIMIQUE  
Viri, Dn. HERMANNI HAUSMANNI in  
illustri Schola Steinfurtenſi Pædagogarchæ &  
Logices Professoris publicé discutiendam  
proponit

EGBERTUS KEMENER Bentheimensis.

Ad diem 13. Augusti.

M. D. C.

I I I.



gothow 3 monis # R

23.

ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
Domino, Dn. Arnoldo, Comiti in Bentheim,  
Teclenburg, Steinfurt & Limpurg, Domino in  
Rheda, VVevelinckhoven, Alpen & Helfenstein,  
Libero Baroni in Lennep, Præfecto hæredita-  
rio Archiepiscopatus Coloniensis; Domi-  
no ac Mecœnati suo clementissimo

*Hasce theses logici studii primitias  
in submissæ observantiæ argumen-  
tum dicat & inscribit*

EGBERTUS KEMENER  
*Respondens.*

Theses



## Theses de Testimonio.

1.

**A**rgumentum Reale expositum est hactenus in primis & ortis ; sequitur quod testimoniale seu pronunciatiuum appellari posse putamus. Vulgo, sed obscure, Inartificiale dicitur.

2. Differunt porro ut supra meminimus , argumentum Reale & Testimoniale seu testimonium, hoc modo. Argumentum Reale est cum res rem arguit, cumq; pro argumento assumitur seu adhibetur res. Sic Paulus justificationem hominis coram Deo, explicat & declarat argumentis realibus, cum ait: Censemus hominem gratis justificari per fidem in Iesum Christum, absq; operibus legis. Sic i. Johannis 2. v.5. argumento reali, describitur homo vere diligens Deum: Qui vere ejus dictis parit, ie vere Dei amore perfecto præditus est. In eadem Epistola cap.3. v.7. homo justus itidem Reali argumento describitur. Qui justa facit, justus est. In his omnibus exemplis adhibentur argumenta realia: In primo, justificatio hominis coram Deo, explicatur duobus argumentis realibus, quæ sunt illius cause efficientes: Eæ sunt: gratia divina prima, & fides in Christum seu Christianismus, secunda causa : In secundo, homo vero Dei amore præditus, argumento reali, nempe observatione mandatorum Christi, quod est effectum ipsius proprium: In tertio, reale argumentum est, justa facere.

3. Argumentum testimoniale seu pronunciatiuum est, quando non res pro argumento adhibetur ad declarandum vel probandum, sed testimonium seu pronunciatum vel Dei vel hominis, h.e.id , quod de re & sententia proposita, vel Deus, vel homo aliquis, testatus est & pronunciavit. Ut cum Theologi eandem illam questionem, de gratuita justificazione, quâ scilicet homo gratis justificetur per fidem in Christum, probant, non aliam rem pro argumento adhibentes, sed ex eo, quod Paulus de hac questione in suis Epistolis pronunciavit, & sic ratiocinatur. Paulus in su-

A

is Epistolis

is Epistolis divini spiritus instinctu pronunciavit, & testatus est: Censemus hominem gratis justificari, absq; operibus legis. Ergo certissimum est, hominem coram Deo ex gratia, per fidem in Christum, & per Christianismum, non operibus legis, nec per Iudaismum justificari.

4. Argumentum testimoniale, quod haud inconcinné testimonium appellatur, est argumentum, quod ex auctoritate idonei testis arguit.

5. Hoc argumentum, cùm rei veritas subtilius investigatur & inquiritur, hoc est, cum non prius assensus præbetur, quám agnitus sint perspectaq; rationes, per exiguum vim probationis habet.

6. Quare in Philosophicis, infirmum & vile est auctoritatis argumentum. Divinis tamen testimonijs sua apud nos & quidem summa, sanctaq; constabit auctoritas: quia in divinis & theologicis, cùm de veritate rerum, & sententiarum seu dogmatum queritur, obediens fide credendum est, & fide quidem acquisiente in divina patefactione, & oraculorum sacrorum veritate propter auctorem Deum: Est q; hæc auctoritas patefactæ & perspectæ divina voluntatis, instar omnium rationum.

7. Quare alia est ratio testimoniorum in Philosophia; alia in Theologia.

8. In Philosophia assensum præcedit rationum exquisitio consideratio; Et constans Philosophus assentitur rei, ex suis causis rationibusq; prius cognitæ, atq; sententiæ rationibus certis demonstratae; non ducitur instar sequacis pecudis, opinionibus hominum, nec alienarum opinionum sese mancipium præbet.

9. At in Theologia, contra, assensus & fides præcedunt investigatio-

nens

nem considerationemq; rationum, & oraculis ac pronunciatis divinis.  
ereditur propter auctorem Deum.

10. Sed hic notandum, quod per testimonia, & pronunciata, quibus  
absq; rationum exquisitione & consideratione assensus simpliciter prae-  
betur, & fides habetur, ea intelligantur qua exstant in sacris literis,  
& codice Biblico.

11. Nulli preterea homines, quantumvis doctrinâ & auctoritate,  
addo etiam sanctitate pollentes, nulla hominum concilia, quantumvis  
sancte in speciem ac legitimè congregata, nulla deniq; visibilis Ecclesia,  
quantumvis perpetua & universalis, vel constituta, vel promissa, vel  
indicata, cupus sententia, judicio & testimonio, in divinorum dogma-  
tum dijudicatione standum nobis sit. Et idolomania est ullis scriptis,  
ullis testimonijs, praeterquam biblicis, ejusmodi auctoritatem tribuere,  
& honorem habere, ut absq; rationum inquisitione fides habeatur, &  
assensus præbeatur.

12. Nam quemadmodum veré piorum est, in divine veritatis my-  
steriis cognoscendis & intelligendis pro magistro agnoscere solum spi-  
ritum sanctum eosq; homines, quis certum est eo spiritu ita fuisse pre-  
ditos, ut in rerum divinarum scientia errare non potuerint, qui  
sunt, Novi & veteris Testamenti scriptores, nec alij præter ipsos: Sic e-  
tiam soli Dei verbo, & testimonijs inde de promptis is honor haben-  
dus est, ut sine rationum inquisitione ijs assensum præbeamus.

13. Et hic quidem assensus sacris testimonijs præbetur ab ijs demum,  
quibus religio vera de Deo vero imm certa est, quiq; eam iam recepe-  
runt & approbarunt, qui principium theologiae non negant, hoc est, sa-  
cram scripturam, & verbum Dei non vocant in dubium: hi enim  
pronunciatis & oraculis divinis sine rationum exquisitione cre-  
dunt.

Ast apud alios qui principium Theologie nostrae negant, id est, sacram scripturam, & verbum Dei in dubium vocant, ut apud atheos, Epicureos, Ethnicos, Mahometistas, ut ipsa sacra scriptura, que vera & Christianae religionis unicum principium est, ita etiam testimonia ex ea de prompta, per exiguum vim probationis habent. Quare non solum licet sed etiam necessarium, quoties adversus ejusmodi homines pro vera religionis assertione disseritur, aliis etiam principiis veritatem ejus demonstrare.

15. Quin etiam apud eos, qui unicum illud religionis principium agnoscunt, nec mirum nec alogon, nec absurdum videri debet rationis iudicio percipi, intelligi, doceri, confirmari, & demonstrari ea, quae rationis acumine nunquam excogitata fuissent.

16. Ratio & mens humana suis viribus, suoq; acumine, non assequitur mysteria religionis, & regni cœlestis sine patefactione divina: At postquam jam patefacta & revelata divinitus sunt mysteria illa, mens & ratio pcipit, intelligit, cognoscit, dijudicat, atq; de iis disserit, aliosq; erudit ac instruit.

17. Nam ratio ad Deum est, ut oculus ad solem. Sol, & quæ sub sole sunt, absq; luce solis oculis hominum non cernuntur; ita nec res divina, mysteriaq; religionis, absq; Deo & patefactione divina ratione humana cernuntur: Jam vero ubi sol illuxit, oculus cernit & discernit, quæ nō videbat prius. sic Deo se & res divinas nobis revelante ratio nostra videt, cognoscit, meditatur & approbat ea, quæ per se nunquam deprehendisset, nempe veræ religionis mysteria. Vide latius Mornæum in lib. de veritate religionis Christianæ, tum in prefatione, tum cap. 5. Item D. Goelen in probl. logicis part. 2. disp. 55. atq; in appendice ad Metaphysicam.

18. Videndum itaq; quatenus, & quo sensu dicatur captivandam esse (ut ita loquar) rationem in cognitione & dijudicatione dogmatum cœlestium: Cavendum q; ne illa rationis captivatio sit aloga, & bruta suppressione judicii intellectus, & occlusio oculi divinitus ad videndum dati.

19. Captivatio (liceat sic loqui) rationis, adeo cum ratione non pugnat, aut eam in dijudicatione & approbatione dogmatum cœlestium  
sappri-

supprimit, & extinguit, ut ipsamet sit rationis, maximè rationabile effe-  
ctum. Nihil enim aliud est captivare rationem, cùm mysteria cælestia,  
quæ viribus rationis humanæ investigari non possunt, proponuntur,  
quám prudenti rationis discurſu adhibito, concludere in voluntate &  
patefactione divina, in Dei sese patescentis auctoritate acquiescendum:  
Et proinde si quid à Deo reuelatum & propositū fuerit, quod vel impos-  
ſibile vel absurdum, si ad nostræ rationis judicium examinetur & revo-  
cetur, nobis apparet, cedere Deo, illiqꝫ tribuere hūc honorem, quodea, quæ  
vel promittit, vel præcipit, etiam si nobis impossibilia & in convenientia  
videantur, tamen ille quia omnipotens, & infinitè bonus & sapiens, ni-  
hil quod vel ipsi impossibile, vel non optimum & justissimum sit, propo-  
nat, præcipiat aut promittat. Talis rationis submissio & cessio, cum rati-  
one non pugnat, aut eam evertit, sed proprium & maximè rationabile,  
ut modo diximus, illius opus est, quia apud nos & animum nostrum co-  
cludimus, nobis, qui creaturæ sumus, cedendum Dei creatoris, qui omni-  
potens, qui infinitè bonus & sapiens, voluntati & imperio, & in illius  
patefactione acquiescendum esse.

20. Hæc est illa non aloga, sed rationabilis rationis captivatio, quæ &  
pronunciatis sacre scripture, & exemplis piorum probari potest. Hanc  
approbare videtur illud Pauli: Animalis homo nō percipit illa, quæ sunt  
spiritus Dei. Quorum verborum non alia videtur esse sententia, quám  
hæc. Quæ ex revelatione divina (ea autem fit per verbum) agnoscun-  
tur, illa homo naturæ viribus, & naturalis intelligentiæ luce non capit  
& non intelligit.

21. Exempla captivata rationis & submissionis in sacris literis illu-  
stria sunt & proponuntur: sic Abraham, pater ille omnium credentium,  
suo nos exemplo docuit pię sanctęg, rationem captivare, cùm jussus im-  
molare filium Isaacum, in quo tamen illi promissum fuerat semen, cuius  
auspicio beneficioqꝫ felicitatem consequentur omnes totius terrarum  
orbis nationes, sic apud animum suum ratiocinatus est. Hoc mandatum  
Dei et si p̄gnat cum illius promissione mihi jam pridem facta; si enim  
immolare & mactare filium debo, quomodo dabitur in eo semen illud  
benedictum? Attamen quia Jehova & Domini mei ac Dei mandatum est,  
& ille

¶ ille omnipotens, infinité bonus, justus & verax in servādis promissis,  
ego illius voluntati parebo & credam, hoc mihi de eo certó pollicens, quod  
ille, prout verax est, facile inveniet rationem promissa mihi præstandi:  
Ego in illius voluntate, & immensa bonitate, securus acquiesca. Sic abs-  
que dubio pius Patriarcha ratiocinatus suam rationem captivavit: Et  
de hac captivatione, & rationis submissione loquitur, opinor, Paulus ad  
Rom. 5.v.17.18. & sequentibus usq; ad. 20.

22. Non minus illustrē rationalis & logicæ submissionis exemplum  
habemus in Maria virgine: Nam & hac cū ei ab Angelo annuncia-  
ture eventurum id, quod per naturam fieri non posse videbatur, tan-  
dem auditis Angeli rationibus acquievit, & rem omnem divinæ vo-  
luntati, prudentiæ, & omnipotentiæ permisit, verbis Angeli ratiocinan-  
tis credidit, & rationibus ab illo adductis cessit, ingens, Ecce ancilla Do-  
mini, fiat mihi sicut dixisti. Hæc captivatio nihil aliud fuit, quam sub-  
missio, quarationi divinæ & divinitus allata submisit sese, & cessit hu-  
mana.

23. Hæc est pia illa rationis captivatio, prorsus pugnans cum ea, quam  
hodie quidam insulſe & ἀνόρως credunt, qui putant in divinis mysteri-  
is sapere nihil aliud esse, quam omni potestate utendi ratione se abdicare,  
& obbrutescere, cū ad regnum Christi, ejusq; mysteria cognoscendum  
acceditur. Hæc perpendenda proponimus iis, qui adeo insaniunt, ut rati-  
onem captivent in obsequium fidei (stulta & superstitione credulitatis  
dicere volebam) etiam in iis, quæ contradictionem implicant, quæq; con-  
tra manifestam in sacris literis patefactam veritatem ab iis statuuntur.  
Sed ad rem.

24. Testimonium est divinum vel humanum.

25. Divinum, quod a numine proficitur, & divinitus auctore Deo  
datur.

26. Idq; immediatē vel mediatē. Immediate, cū Deus ipsem̄ suo  
oraculo testimonium reddit. Sic in Paradiſo cum primis parentibus lo-  
cutus, & de sua voluntate testatus est. Sic Deus pater ē cælo testatur de  
filio suo jam baptizato: Hic est filius ille meus dilectus, in quo acquiesco.  
ipluns

opsum audite.

27. Mediatae, cū per media, de sua voluntate testatur Deus.

28. Media illa portio sunt, vel viva, vel prodigia: viva media sunt vel Angeli, vel homines, divina patefactionis organa & voluntatis testes. Sic de Christi conceptione in utero virginis Mariae testatus est Angelus Gabriel, Luc. 1. & Matth. 1: de eiusdem nativitate alij quoq; Angeli testantur Luc. 2. Eodem modo de Christi resurrectione, iuemq; ascensione in cælum testati sunt sancti Angeli. Homines divina voluntatis testes sunt, quilibet viri sancti, ut Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli, aliq; singulari ratione vocati, & testes veritatis cœlestis constituti. Qui cum extra omnē controversiam ex instinctu divini spiritus loquantur, illorum pronunciata & dicta, quibus de Dei voluntate & operibus Dei, & præcipue de Christo ejusque officio testantur, inter divina testimonia numerantur & immota veritatis sunt.

29. Hic obiter notetur, quod cū Christianorum sit solum Deum & Spiritum sanctum, cuius instinctu locuti sunt viri sancti, pro magistro in doctrina religionis agnoscere, ut supra meminimus, etiam sola scripture sacra dicta & pronunciata vim divinorum testimoniorum habeant, cū de veritate dogmatum & capitū religionis agitur. Testimonia autem patrū, cū veritas religionis accuratius, & ex vero principio asserta est, eam vim probationis non habent, nisi quatenus cum scriptura sacra consentiunt.

30. Prodigia sunt testimonia sacra, cū Deus per portenta, & aliarum certarum rerum prænuncta signa de re quapiam testatur. Prodigiorum variae species sunt, quæ in scripturis occurunt. Huc pertinet sermonatio a sime Bileami, quæ prodigiosa locuta, ipsi testata est de impietate propositi. Hujusmodi est prodigiosa regressio indicis solaris Esai. 36. per quam Deus testatus est, se adhuc quindecim annos additurum ad aetatem Regis Ezechiae. Prodigium etiam fuit stella in oriente à Magis visa, quæ iesus fuit natum esse Iudeorum Regem. Matt. 2. Huc pertinent cometa & alia

alia portenta, quae in aere conspicuntur. Item somnia diuinitatis immissa-  
cujusmodi fuit Nabuchodonosoris, quod Daniel interpretatus est. Item  
Josephi filii Jacob. Portentum fuit & somnium alterius Josephi mariti  
Mariae, Matth. 2. Prodigia fuerunt obscuratio solis, terra motus, scissio  
veli templi, disruptio petrarum, quae contigerunt, cum moreretur Chri-  
stus.

31. Atq[ue] hactenus de testimonij verē divinis divinitatē redditis  
habent etiam Ethnici sua divina testima: verum quia D[omi]nū gentium  
Dæmonia sunt, etiam testima illa, quae ab ipsis divina appellantur, di-  
abolica potius sunt, cūm Diabolum auctorem habeant.

32. Huc pertinent primū oracula & responsa que ex deastrorum  
idolis Diabolus passim reddebat, ut plurimum obscura & ambigua; qua-  
de est illud:

Croesus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.  
Deinde alia quævis Ethnicorum prodigia, auguria, auspicia, omnes  
denig, prædictiones, & responsa vatum, & fatidicorum, augurum, aris-  
spicum, ariolorum.

33. Testimonium humanum est, quod humana auctoritatis vi arguit:  
& hominem auctorem habet.

34. Hujus usus præcipuus est in civilibus & humanis rebus, ubi præci-  
pue fidem ex moribus argumentis hoc argumentum efficit, si prudentia,  
virtus, probitas adfuerint.

35. Testimonium humanum est commune vel proprium: commune,  
quod communi multorum hominum auctoritate nititur, ut Lex & il-  
lustris sententia.

36. Lex est scripta vel non scripta: Divina vel humana, Naturalis,  
gentium vel civilis. Testimonio legis utimur, cūm legibus allegatis, asser-  
tionem nostram & intentionem stabilimus, idq[ue] ut plurimum sit in ju-  
dicio, quandoq[ue] etiam alibi. sic animaduersionem quandoq[ue] mittigan-  
dam

dam esse probari potest testimonio hujus legis. Fere in omnibus judicis  
panalibus etati succurritur & imprudentia. Paulus testimonio legis di-  
vine probat ministris Evangelij justam mercedem non detrahendam  
esse, cum ait. Bovi tritarianti non obturabit os. Cic. in Miloniana & scri-  
pta. & non scriptae legis testimonio probat tunc quandoq. hominem in-  
serficere.

37. Illustris sententia testimonium est, cum allegantur dicta sapien-  
tum, gnomae, aut proverbia, cujusmodi sunt. Nosce te ipsum. Suscine &  
abstine. Nequid nimis. Sponde; præsto est detrimentum. Pares cum pari-  
bus facilimè congregantur. Spartam nactus es, hanc exorna. Mali corvi  
malum ovum.

38. Et hujusmodi testimonia valent vel ad doctrinæ alicuius illustra-  
tionem probationem vñ, vel ad vitam & mores informandos, & denig.  
ad laudem vel vituperium.

39. Testimonium humanum proprium est quod unius hominis au-  
toritate arguit. Tale est illud Salonis ad Cræsum, ab Ovid. his verbis ex-  
pressum.

dicique beatus

Ante obitum nemo supra[m]aq[ue] funera debet.

40. Huc pertinent certorum hominum, qui auctoritate valent, dicta  
& pronunciata.

41. Sunt & virorum testimonia, non tantum cum queritur de fun-  
do, aut cæde, aut istiusmodi negotio aliquo; sed testimonia sunt obligati-  
onis, juris iurandi, confessionis, experientiae. Huc igitur primo pertinent de-  
positiones, & dicta testimoniū, qui producuntur in judicis: Deinde hujus  
loci sunt obligatio, confessio, libera vel expressa tormentis, experientia,  
jusjurandum; his adde & pignora.

42. Recta & legitima testimoniorum usuratio, consistit in vera & syn-  
cera allegatione, in quam qui peccat, dicitur committere crimen falso  
aut non idem ea allegationis.

B. 2

Allegato

43. Allegantur porro candidè & sincerè, cùm allegantur integrè & non truncatim, cùm citantur veri & idonei testes & auctores, cùm adducuntur vero, & quem apud auctores habent, sensu, accommodantur ad res, de quibus testantur, & quas arguunt.

44. Sicut contra crimen falsæ & non idoneæ allegationis committitur, cum non citantur veri auctores, cùm detorquentur à vero & recto sensu, cùm accommodantur ad res sententias ve, de quibus non testantur & quas non arguunt.

45. Hic duo notanda sunt: Primo quod cavenda sit falsa & stulta illæ ampliatio & extensio, qua testimonia extenduntur ad ea, quæ non concernunt. Sic sæpe leges, sic dicta sapientū & proverbia, sic sæpe scripturae testimonia ineptæ extenduntur ad ea, de quibus non testantur. Et loquimur hic de ampliatione illa, quæ nihil aliud est, quam tum aliorum pronunciatorum, tum sacræ scripture dictorum in alios sensus, quam quos ratio disputationis, circumstantiarum observatio, consilium & scopus dicentis, deniq<sup>ue</sup> λαζογεαφιν ἀναγκη ostendit, detorsio extensiōg<sup>e</sup>.

Philipp int. 46. Secundò quod, licet, omne dictum & effatum sacrum ex Auctoribus loco quo ponitur unum semper certum sensum habeat; tamen quadam dicta scripture, diversis locis adhibita, diversum sensum admitunt, & proinde diverso etiam sensu allegari & adres diversas accommodari possint. Sic multæ apud sacros vates predictiones de Christo existant, quæ & ad typum & Christum recte accommodantur. Et proinde, tamen si vere ac proprie, si verba exactè perpendantur in Christo solo effectum suum obtinuerunt; non tamen eventu in ipsis quoq<sup>ue</sup> typis caruerunt, alioqui enim typi esse non potuissent. Quocirca illa, quæ de figura & typo dicuntur, licet figurato magis conueniant; ad figuram tamen aliqua ratione (vero sensu historico) accommodari semper possunt.

47. Sic & alia dicta scripture diversis locis posita diversum habent sensum, ut illud quod de ploratu Rachelis duobus locis ponitur, nempe Jeremia

remia 31. v. 15 & Matth. 2. v. 18. habet duplēm sensum, & ad due aēs  
commodatur: apud Jeremiam sensu literali ad matronarum Judaica-  
rum, quæ super abductis in Babyloniam liberis suis acerbissimum lu-  
ctum fecerunt, planctum; apud Matthaeum ad infanticidium Herodi-  
anum refertur.

48. Ex non idoneo teste vitiosum testimonium, cūm teste humano-  
tribuitur auctoritas divina: Item cūm testes sunt infames & vitijs no-  
gati: hinc datur in foro terminus ad excipiendum contrā personas & di-  
cta testimonia.

## Conclusio doctrinae Argumentorum.

I.

Et jam omnia argumentorum genera, omnes inventionis  
locos, e quibus omnes ad cuiuslibet thematis, & rei sententi-  
æ ad differendum sumptæ dissertationem accommodatae & i-  
doneæ rationes deponi possunt, proposuimus.

2. Suntque hæ veræ illæ logicorum categoriæ, & notionum  
logicarum classes e quibus Vera  $\alpha\pi\eta\sigma\pi\mu\alpha\tau\alpha$  seu prædicabilia,  
Hoc est, ea quæ de quacunque re seu thémate, qualicūque quæ-  
stione comprehenso vel propotito ad ejus vel explicationem  
vel demonstrationem,  $\alpha\pi\eta\sigma\pi\mu\alpha\tau\alpha$ , id est, prædicari & enunciari  
possunt, exprimuntur.

3. Omnia notionum, quæ quibusvis rebus, quatenus vi-  
mutuæ affectionis se invicem arguunt, applicari consueverunt:  
species ~~quæ~~ iam explicatae sunt.

4. De ratione parandi ex his differendi facultate, nec alijs  
præceptis quam haec tenus expositis opus est, nec nos alia ullæ  
proponemus, nec maximas, ut vocant, à definitionibus diver-  
sas dabimus.

5. Nullo modo assentimur ijs qui alijs præceptis naturam &  
affectionem argumentorum, alijs vero usum docendum esse

B. 3: censent.

censent. Sunt enim ut omnium artium legitima, sic etiam inventionis logicæ præcepta, tum theorematum in rerum cognitionem deductio: tum leges practicæ artificiosarum actionum directrices.

6. Si quis igitur est qui leges generales aut maximas minime fallaces desiderat, is definitiones & distributiones sibi familiares reddat, & ex illis tum naturam & affectiones, tum usum & modum usurandi argumenta discat: nam uniuscuiusque argumenti, vel exegeticé vel apodicticé usurandi sua definitio lex est. Et secundum eam affectionem argumenta usurpantur, quæ ipsorum definitione comprehenditur & explicatur.

7. Item usus & abusus ijsdem & non diversis præceptis traduntur: Inventionis clerichi per eadem præcepta deprehenduntur & refutantur, per quæ & natura & usus illorum doceuntur.

8. Sic exempli gratia definitio oppositorum, & naturam eorum atque usum demonstrat, & elenchorum refutandorum certissima lex est. Idem sentendum de reliquis

### Prosthemata.

T Estimoniocredimus propter testimoniū, & qualis est testimoniū tale est testimoniū.

1. An aliquando in Theologicis disputationibus uti licet humanis testimonijss: Affir.

2. Utrum quævis dicta sacræ scripturæ quadruplicem sensum, literalem, tropologicum, allegoricum & anagogicū admittant? Negamus cum Philippo.

3. An simpliciter plurimum testimonia præferri debent paucorum? Negatur.

4. Nemo idoneus testis in causa propria est.

5. Testimonium rectè dicitur necessarium vel contingens.

7. An inventionis doctrina doceat invenire res, an vero argumenta? Resp. Res, quatenus sunt argumenta.

VERÆ PHILOSOPHIÆ, AC ORTHODOXAÆ RELIGIONIS STUDIOSO JUVENI EGERTO KEMNERO, AMICO  
SUO FAMILIARISSIMO.

S! Pumigeros cur terquet equos, circundatus armis  
Horisonis; cur signa sequens Mavortia, tractat.  
Sæui sæua fori, bellator bellua, bella?  
Bella? reor capiat funesti ut præmia belli.  
Tantaleam cur fauor famem, & jejunia Phinei,  
Sythoniasque nives hyemis sub nocte; sub aura  
Ignivomas ante ora faces cur sustinet? cur hæc  
Bellator? capiat funesti ut præmia belli.  
Hinc furibundus adit ( nec huic vita ulla putatur  
Nescia virtutis) vita tremebunda pericla:  
Ducat honoratum ut devicto ex hoste triumphum.  
Stringat & auratos stellata corona capillos.  
Tu quoque sic Adamate, petens Tritonidos arces  
Miles, & intonsi montis fastigia, lustra  
Lustrans, saxa sequens, rem eans; quid? mille labores.  
Cur Capibis? intrepidus quid Palladis arva? quid arma?  
Arma? reor tua laus, tua nomina, littora, sidus  
Tangat, & insignis spacio splendeat orbe.  
Fauce famem cur? ore sitim? quid frigora & æstus  
Icarios, ubi hiulca siti canis æstifer arva  
Findit; ubi fontes Boreas captavit opacos?  
Præsupcrum, nihil est nisi non habitabile cœlum.  
Hæc? reor insigni cultam ut diademate frontem  
Attollas, folia atque tegant tua tempora palmæ,  
Palmæ, quæ variata niter cum floribus Hyblæ.  
Hinc sitiens pugnam, prædam, moriturus in hostes  
It ruis in medios; clamosa est turba Sophistæ.  
Afflictus, non vietus ad eum; eristatus Achilles  
Læsus, lætus adest, & ad hostica castra recurrit.  
Scilicet egregius sudor, memorandaque virtus,

Virtus

Virtus, in somni qua<sup>t</sup> conquista labore est.  
Quid multis et stata canunt hæc prælia cunctiss.  
Prælia militiam; quid in aggere miles, in armis.  
Vulnra testantur. Fac ergo ut et amite pergas  
Currere cordatus, jaculis præcinctu:, & arcu  
Masarum, faustum sic complens mortinis omen.  
Scis καὶ πότε Kamenere vocet quid lingua? Laboro:  
Quippe labor, studium, finis, non pugna coronant.

Amoris ergo scribebat

Abrahamus Heroldus Dresdenie

Misnicus.

Finis.



Be 231.

8<sup>o</sup>

Q6.

ULB Halle  
002 690 756

3



5b.

VD77



**Farbkarte #13**

B.I.G.



XVI  
Disputationū Dialecticarum Decima:

QUA  
DOCTRINA DE  
**TESTIMONIO**  
BREVITER ET DILUCIDE  
explicatur.

QUAM  
Divino aspitante Numine  
Sub presidio

CLARISSIMI DOCTISSIMIQUE  
Viri, Dn. HERMANNI HAUSMANNI in  
illustri Schola Steinfurten Pædagogæarchæ &  
Logices Professoris publicé discutiendam  
proponit

EGBERTUS KEMENER Bentheimensis.  
Ad diem 13. Augusti.

M. D. C.



Johann Smonis # R.

